

Et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.

Lectio Actuum Apostolorum

10, 25-26. 34-35. 44-48

²⁵ Factum est, cum introisset Petrus,
óbvius ei Cornélius prócidens ad pedes adorávit.

²⁶ Petrus vero levávit eum dicens:
«Surge, et ego ipse homo sum».

[27-33]

³⁴ Apériens autem Petrus os dixit:
«In veritáte compério
quóniam non est personárum accéptor Deus,
³⁵ sed in omni gente, qui timet eum et operáitur iustítiam,
accéptus est illi.

[36-43]

⁴⁴ Adhuc loquente Petro, cécidit Spíritus Sanctus
super omnes, qui audiébant verbum.

⁴⁵ Et obstupuérunt, qui ex circumcisióne fidéles,
qui vénerant cum Petro,
quia et in natiónes grátia Spíritus Sancti effúsa est;

⁴⁶ audiébant enim illos loquéntes linguis
et magnificántes Deum.

Tunc respóndit Petrus:

⁴⁷ «Numquid aquam quis prohibére potest,
ut non baptizéntur
hi, qui Spíritum Sanctum accepérunt sicut et nos?».

⁴⁸ Et iussit eos in nómine Iesu Christi baptizári.
Tunc rogavérunt eum, ut manéret áliquot diébus.

Verbum Dómini.